



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE *PECCATORES, NOLITE AMPLIUS PECCARE* *

VENERABILI DEI SERVAE ALEXANDRINA MARIA DA COSTA

CAELITUM BEATORUM TRIBUITUR DIGNITAS Ad perpetuam rei memoriam. - «Peccatores, nolite amplius peccare; nolite amplius nostrum Iesum offendere ».Alexandrinae Mariae da Costa studiosa haec clamatio, quae inter verba reperitur apud eius sepulcrum insculpta, totam eius vitam summatim complectitur, traditam pro mundi salute.Venerabilis Serva Dei die XXX mensis Martii anno MCMIV in oppido *Balasar* in Lusitania orta est. Parva fuit colona eademque arguta, iocosa, blanda, XIV annos nata se de fenestra in hortum praecipitavit ut suam puritatem servaret. Annorum decursu detrimentum, quod ipsa eum propter casum passa est, paralysim totius corporis procuravit, ideoque plus quam triginta annos in lecto cubuit, a sorore grandiore natu curata.Usque ad annum MCMXXVIII sanationem, Virgine Maria intercedente, petere solebat, cum polliceretur se sanata missionem adituram. Cum vero dolorem suam esse missionem intellexit, prompte eum est complexa.Hoc tempore primi mystici eventus occurrerunt, cum Alexandrina artae cum Christo in Tabernaculis coniunctionis, opem ferente Virgine Maria, vitam incoharet. Cum quodam die sola esset, hoc repente cogitavit: « Iesu tu es in Tabernaculo detentus et ego tuam propter voluntatem in lecto. Nos nos comitabimur ». Inde primam coepit agere missionem, Tabernaculi lampadis scilicet agendi partes. Suas exigebat noctes de Tabernaculo in Tabernaculum transiens. In unaquaque Missa se Aeterno Patri addicebat tamquam victimam pro peccatoribus, una cum Iesu Ipsiisque ad voluntatem.A die Veneris III mensis Octobris anno MCMXXXVIII ad diem XXIV mensis Martii anno MCMXLII, videlicet centies octogies bis singulis Veneris diebus Passionis dolores est experta. Alexandrina, suam suetam excedens condicionem, de lecto surgebat et per motus aliquos, acerrimis doloribus comitantibus, per tres horas et dimidiam varia viae Crucis momenta iterabat.«Amandi, patiendi, reparandi» eius fuit propositum quod ipsi significavit Dominus. Anno MCMXXXVI ex Summo Pontifice quaesivit ut Cordi Immaculato Mariae consecraret mundum. Prece hac saepenumero iterata, die XXXI mensis Octobris Pius XII per nuntium aliquem Fatimensi in urbe emissum Cordi Immaculato Mariae mundum consecravit, qui deinde die VIII mensis Decembris eiusdem anni in Basilica Petriana est iteratus.A die XXVII mensis Martii anni MCMXLII ac deinceps Alexandrina se alere desiit, cum de sacra Eucharistia tantum viveret.Anno MCMXLIV Consociationi Cooperatorum Salesianorum nomen dedit. Cooperatricis diploma in propatulo collocavit, ut, eo viso, suo dolore suisque precibus animarum saluti, iuvenum potissimum, operam suam conferre posset.Etsi multum pateretur, mentem intendebat ad pauperes iuvandos, fidelium aliorumque hominum spiritale bonum, qui ad eam confluebant. Sua in paroecia triduorum, XL, horarum et quadragesimalium sermonum curationem fovit.Die XIII mensis Octobris anno MCMLV, cum anniversaria recoleretur memoria Virginis Fatimensis novissimae apparitionis, clamantem eam audierunt: « Felix sum, quia caelum peto ». Hora septima cum dimidia postmeridiano tempore e vita excessit.Ordinarius Processus Bracarensi in urbe a die XIV mensis Ianuarii anno MCMLXVII ad diem X mensis Aprilis anno MCMLXXIII actus est. Die autem XXI mensis Decembris anno MCMXCV Nos Ipsi Alexandrinae virtutes heroum in modum exercitas agnovimus. Die XX mensis Decembris anno MMIII Nobis coram Decretum de

miraculo prodiit ac deinceps statuimus ut Beatificationis ritus Romae die XXV mensis Aprilis anno MMIV celebraretur. Hodie in foro Petriano inter sacra hanc ediximus formulam: «Nos, vota Fratrum Nostrorum Iosephi Michalik, Archiepiscopi Premisliensis Latinorum, Alberti Gerald Jaramillo, Archiepiscopi Medellensis, Ioannis Cardinalis Sandoval Íñiguez, Archiepiscopi Guadalaiarensis, Severini Cardinalis Poletto, Archiepiscopi Taurinensis, Ignatii Nogueer Carmona, Episcopi Onubensis, et Georgii Ferreira da Costa Ortiga, Archiepiscopi Bracarensis, nec non plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium expientes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Augustus Czartoryski, Laura Montoya, Maria Guadalupe García Zavala, Nemesia Valle, Eusebia Palomino Yenes et Alexandrina Maria da Costa Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Augusti Czartoryski die altera Augusti, Laurae Montoya die vicesima prima Octobris, Mariae Guadalupe Garcia Zavala die vicesima septima Aprilis, Nemesiae Valle die vicesima sexta Iunii, Eusebiae Palomino Yenes die nona Februarii et Alexandrinae Mariae da Costa die decima tertia Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Consueta denique oratione prolata, qua tum eximiam huius Beatae vitam tum singulas eius christianas virtutes laudibus ornavimus, Nos primi summa devotione caeleste illius invocavimus patrocinium omnesque adstantes hortati sumus ad eius virtutes imitandas. Quod autem his sermonibus decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Aprilis, anno MMIV, Pontificatus Nostri sexto et vicesimo. *De mandato Summi Pontificis*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius

Status

*A.A.S., vol. XCVII (2005), n. 3, pp. 303-305 © Copyright 2004 - Libreria Editrice Vaticana